



**L** Leopoldus filius fuit Heinrichi primi Austriæ  
 Ducis ex Theodora coniuge. Hic in omnibus  
 uirtutibus educatus, post patris obitum anno æta-  
 tis 20. Austriam gubernandam suscepit, quam etiã  
 tãta fœlicitate gubernauit, ut passim patriæ pater  
 diceretur. Itaq; statim in Italiam ad Fridericum pri-  
 mum concessit, & iuxta Pisaurum in castro duca-  
 tus Austriæ feudum multis Italis et Germanis astã-  
 tibus suscepit. 6. calend. Martij. Postea etiam recon-  
 ciliationi Alexandri 3. pontificis & Friderici Impe-  
 ratoris interfuit, quæ tum Venetijs cœpta fuerat.  
 Reuersus in Austriã Boemos, qui Transdanubia-  
 nos uexabant, sua ditione expulit, & in fugã con-

uertit. Cum aut religioni esset deditissimus, cum multis principibus terrã san-  
 ctam sub Clemente 3. inuisit, ac sospes reuersus S. crucis portionem secũ attu-  
 lit, quã cœnobio S. crucis dono dedit. Inde collecto exercitu obsidionẽ castri  
 Ortenburg Rapatonis comitis molitus est. sed cum Batauiam aduentaret, co-  
 mes illi occurrit, atque imperata facere pollicitus sese ei submisit, Vnde Leo-  
 poldus domum pacificus redijt.